

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12



1659.

a, b

1. Beckman, Johann Volk.: De pactis adjectis
2. Beckman, Joh. Volk.: De incendiis dolos et culposo
3. Beckman, Johann Volk.: De contractibus realibus.
4. Beckman, Joh. Volk.: De Augustis.
5. Beckman, Joh. Volk.: De nuptiis
6. Beckmann, Joh. Volk.: De statu imperii Romani
7. Beckmann, Johann Volk.: De jure alienandi
8. Beckman, Joh. Volk.: De servitutibus.
- 9^{a. t.} = Beyerus, Adrianus: De cadaveribus puni-
tum.
10. Bosius, Jo. Andreas: Julii Agricolae ortus, edu-
catio et studia
11. Reyer, Wolfgang Andreas: De infamia et ejus pro-
gandi modis
12. Richterius, Christophorus Philippus: De justa
morum sententia in proprium sanguinem

1659,

13. Richter, Christophorus Philippus : De quaestibus. 24
14. Richter, Christophorus Philippus : De libellis. 25
15. Richter, Christophorus Philippus : De apoculis. 25
16. Schmidlius, Johannes : De servii Tullii principatu. 26
17. Schroeterus, Emeritus Pistorius : De retroactione. 27
18. Schroeterus, Emeritus Pistorius : Theses juridicae, 27
ex Digestorum et Codicis libris, novellis, Constitutio-
nibus, jure canonico et recess. Imp. Desumptae. 28
19. Schroeterus, Emeritus Pistorius : De dispensatio- 29
nibus.
20. Strachius, Johannes : De pignore legali sententia. 30
21. Struve, Georg Adamus : De jure aggratiandi sive 31
remissione veniali. ? Sempt. 1659? 1660
transmissione. 32
22. Strachius, Johannes : De ~~transmissione~~. 31
23. Strachius, Johannes : De Germanicae nationis 32
in hodierno imperio Romano statu praesentia.

1659.

24. Struvsius, Johannes : De transactionibus.
25. Struve, Georgius Adamus : De natura obligatio-

rum -

26. Struve, Georgius Adamus : De pluriusibus. 2 Saemp. 1659
- 1766.

27. Struve, Georgius Adamus : De divisionis exceptione.
- 2 Saemp. 1659.

28. Struve, Georgius Adamus : De mutuo.

29. Struve, Georgius Adamus : De usuris . . . et prioribus

IV de libris.


30. Struve, Georgius Adamus : De publicis judiciis

31. Struvius, Georgius Adamus : De dividualitate.

32. Winkheim, Hays Herbold, von : De repressaliis

33. Worma, Georgius : De genicis





470

I

J



17290.

1659,16

18

DISSERTATIONUM BOXHORNIANARUM
SEXTAM
De
SERVII TULLII
PRINCIPATU
PRÆSIDE
M. JOHANNES SCHMIDELIO,
LIPSIENSIS;
P. P.

JO. JOACHIM. HYNIZSCH, NORDHUSANUS.
D. Maji A. O. R. cId Idc LIX.

GENÆ
PRELO NISIANO.

f. 1289.



V I R O

*Nobilissimo, Amplissimo, atque Con-
sultissimo*

DN. JOHANNI CHRISTO-

PHORO Ernst/ J. U. C. dignissimo,

in Rep. patria, quæ Nordhusæ est, Quatuor-

Viro gravissimo,

*Patrono & Affini suo summoperè colen-
do, amando,*

hæc

dat, dicat,

consecrat

**Hans Joachim Hynitzsch/
Nordhusas.**

81
DISSERTATIO SEPTIMA
DE
SERVII TULLII PRINCIPATU

Respondente

Jo. JOACHIMO HYNIZSCH, NORDHUSANO.

THESIS I.

Servius ille conditionis Tullius regio se
impositum fastigio vidit. Matre (a) captâ, quod
plerique tradunt, genitus est; recepto inter gentes
tum (b) optimo, neque iniquo more, ut non capti
modo, sed & eorum (c) posteri fervirent. At supra
istam fortunam (d) ingenium ei ac virtus fuit & utriusque magni-
tudinem Tarquinio Prisco, in cujus familia erat, ita jam tum a
parvulo (e) approbavit, ut inter (f) Patritios primo receptus, de-
in regiae filiae (g) matrimonio astimatus, tandem socero Martio-
rum fratrum scelere interempto, auctoritate primo Senatus, de-
inde etiam, post Vejentinum bellum rarâ felicitate (h) confe-
ctum, populi jussu, ad Romanæ gentis sceptrum admoveretur.
Quanto autem vilior ei fuit fors nascendi, tanto virtutis hujusque
tam excelsæ ejus fortunæ magis celebrata est inter omnes clari-
tudo. Et profectò ita statuendum est, longe esse difficilius, ex
humilimisi & ab omni fortunæ præsidio destitutis initiis, quam
magnis clarisque ad maxima adfurgere.

II. Neque tamen imperia iis, qui contemptæ originis sunt
viliorisque conditionis, licet cætera dignissimis, facile (i) per-
mittenda sunt. Quippe ad conservandum & pacem publicam &
dignitatem plurimum facit observatus fortunæ ordo, quo, si si-
mul boni sint, origine nobiles ignobilibus, antiqui novis, divi-
tes pauperibus regundis merito imponuntur. Neque aliud vel
magis deturpavit vel invisus reddidit Tiberii, Claudii, aliorum-
que Cæsarum imperium, quam quod, clarissimis quibusque vi-
ris postpositis, publicas dignitates servis libertisque (l) manda-
verint.

III. Imprimis autem Servius Tullius pietati (m) in Socerum
satisfecit, a suis in exilium filiis Anci, quos cædis ejus auctores

L

esse

esse constabat. In quo tamen eum prudentia defecit. Eius enim loci magnatibus non esse (v) exilia indicenda, judicamus.

IV. Dehinc consilia omnia eo convertit, ut populo (ξ) placeret, primusque omnium regum condidit leges, quibus (ο) partem imperii cum populo communicavit; iisque observandis non se modo sed & sequuturos reges obstrinxit. Atque his ut mirum in modum aucta est libertas populi ac potestas, imprimis autem in creandis magistratibus, in condendis legibus aut abrogandis, ac bello indicendo, & ineunda pace; ita auctoritati Regum plurimum decesit. Mansit nihilominus regum imperium; neque (π) mixta hæc Reipubl. forma dicenda est. Huc faciunt illa Taciti Annal. III. ubi aperit originem Legum; *Præcipuus Servius Tullius Sanctior legum fuit, quis etiam Reges obtemperarent.* Ergo summæ Principum potestas (ρ) non est soluta omnibus legibus, quas ipsa tulit & eidem licet se ipsam imminere ac coarctare & sic libertatem populi augere; ac denique non integrum est successoribus (σ) ejus modi leges licet auctoritati Principum per eas plurimum detractum sit, infringere aut abrogare. Quis interea Servii imprudentiam hic quoque non arguerit, qui quo regiam dignitatem populo redderet gratiorem, ejus auctoritati tantum ademit?

V. Idem præcipuus ex regibus Juris Romanorum civilis (τ) auctor celebratur, factis legibus de injuriis, commerciis, contractibus, aliisque, de quibus natae lites regum arbitrio hætenus decidebantur. At melius tutiusque est, certis, promulgatis, scriptisque legibus, quam Principum aut datorum ab iis judicum (υ) arbitrio permittere causas privatorum. Neque sine illis ulla Respublica potest constare. Jus autem (φ) civile est, quod unus cujusque populi proprium est, ut hoc Romani. Eius fundamentum est non (χ) simplex ratio, sed cum hujus gentis indole, inclinatione, moribus, & utilitate comparata. Si enim simplex ratio id jus constitueret (ψ) gentium esset, non civile. Eo plurima illicita esse statuuntur & puniuntur, quæ alibi impune & merito licent; crimina fiunt, quæ, extra id jus, non sunt; denique actiones multas excludit, quas simplex ratio ut validas admittit; neque tamen est iniquum.

VI. Se-

VI. Sequitur non minus ardua, quam omni ex parte (ω) laudatissima distributio populi Romani, quæ, post actum diligentissime censum, quo capita civium omnium numerata & bona æstimata sunt pro diversa opum uniuscujusque ratione instituta. A Servio Tullio, inquit Florus, *populus Romanus in censum relatus, digestus in classes, curiæ atq; collegiis distributus, summæque Regis solertia ita est ordinata Respubl. ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorumq; discrimina in tabulas referrentur; ac sic maxima civitas minime domus diligentia contineretur.* In eo (α) militaris ordinis exemplum regem sequutum crediderim; quo omni castrensium multitudine in legiones, cohortes, manipulos, centurias distributâ facilius in omnes imperium derivatur. Formam omnem distributionis istius in classes & centurias Livius ac Dionysius diligenter tradidere; Nos eos sequuti, quo lucem aliquam majorem huic instituto sceneremur, sequentem tabellam confecimus, & hæc exhibemus.

CLAS. CIV.	CENS. CLAS.	CENTURIE CLASS.
Populus in sex classes pro diversitate opum distributus est, & classes singulæ in centurias; & hæc alta Seniorum, alia Juniorum.	I. ditissimorum II. ditiorum III. divitum IV. mediocriū V. modicorum VI. tenuissimorum	C ∞ LXXV ∞ L ∞ XX ∞ XI ∞ XI ∞ aris minor.
		LXXX. Senior. XL. Junior XL. His addita XVIII. Equitum, & Fabrum insuper duæ. XX. Senior. X. Junior. X. XX. Senior. X. Junior. X. XX. Senior. X. Junior. X. His addita duæ tibicinum, ut vulg. Dionysius. XXX. Senior XV. Junior XV. I Hæc immunitis erat à militia & tributis, ad quæ priorum classū Centuriæ tenebantur.

Centuriæ igitur CXCIII. fuere. At supra fidem alicui possit videri, cum pauci fuerint ditissimi, plures mediocris fortunæ; plurimi autem tenuissimæ, ac proinde horum tanta multitudo in plures centurias, quam ditissimorum illud modicum corpus, dispesci potuerit, ditissimorum tamen hic plures, quam cæterorum Centurias recenseri. Verum Centuriæ singulæ ditiorum ex multo minori civium numero consistere, quam illæ hominum inferioris conditionis. Causa verò hujus instituti non una fuit.

VII. Prima ut in ferendis suffragiis de Repub. ditissimi reli-

quos superarent. Cum enim in Comitibus centuriatis (β) singula-
rum Centuriarum singula valerent suffragia, & ditissimorum illis
Equitum & Fabrum additis, Centuriæ essent C. ac iccirco tot suf-
fragia, qui vis videt adversus harum consensum nihil potuisse re-
liquas classes, utpote quarum Centuriæ conjunctæ non nisi essent
numero XCIII. nec nisi totidem vota conficerent. Quod consiliū
ipsa ratio probat. Cum enim credibile sit boni publici (γ) magis
futuros studiosos, qui eo amisso jacturam facturi sunt privata-
rum opum, ditioribus potius, quam his, qui minoris fortunæ,
cura Reipub. mandanda est. Quare & optima ratione sequenti
post Romani ad Senatoriam dignitatem haud alios evexere,
quam qui definitam legibus amplissimum censum (δ) posside-
rent. Neque laudandum Romuli institutum, qui cum curiatim
suffragia populi eliceret, hoc egit, ut in Comitibus pauperes plus
possent, quam locupletes.

VIII. Altera, ut tributorum onera maximè in ditissimos in-
clinarentur. Finge, à singulis Centuriis duo æris millia fuisse ex-
acta, & invenies, solos ditissimos, paucos numero, sed in pluri-
mas Centurias distributos, ducenta millia contulisse, cæteris om-
nibus classibus centuriisque earum conjunctis non nisi centum
millia octoginta & quatuor præstantibus. Cum enim plus com-
modi ex Reipub. reporteret, qui plura possidet, plura, quam alii,
quorum res modicæ, (ε) isti debet. Neque interim iniqua, aut non
recepta Romanis, ejusmodi (ζ) vectigalia, quæ divitibus paupe-
ribusque, sine discrimine, æque gravia indicuntur.

IX. Tertia, ut militiæ gerendæ onus (η) in ditissimos in pri-
mis derivaretur. Pone, ex singulis Centuriis juniorum sub signa
vocatos milites quinquaginta, & videbis, penè omnes ditissimos
simul in castra fuisse advocatos, cum credibile sit eorum Centu-
rias non multò plures, quam quinquaginta viros fuisse comple-
xas. Reliquarum verò Classium Centuriis plus quietis, & facile
fuit quinquaginta mittere in expeditionem, cum singulæ aliquot
centenis aut millenis civibus constarent. Quam autem ea res ar-
dua ac sumptuosa fuerit, vel ex solo eo colligere est, quod civibus
in bellum ire jussis nulla (θ) tum stipendia persolverentur. In
quo

quo tamen non iniquè cum suis egisse Romanos censendum est.

X. Ut à laboribus militiæ Classis sexta civium tenuissimæ fortunæ immunis haberetur, non ideo modò placuit, quod (r) sine stipendiis in hostem hi haud potuerint educi; sed etiam, quod consultissimum sit, infimam illam multitudinem ab usu armorum (x) abstinere. Neque obstat, quod ad tolerandos militiæ labores & subeunda pericula aptissima sit. Nec minus laudandum, quod (λ) domestico milite, quàm externo, & nunc, & deinceps, uti maluerint Romani.

XI. Orborum, viduarumque fortunas à censu tunc exclusas, nec earum nomine tributa exacta fuisse, è Livio manifestum est. Cujus singularis favoris beneficium nulli idoneæ rationi inniti (u) existimamus. At in eo consilio, quo jure civium donandos libertos Servius censuit, nihil (v) improbandum est.

XII. Tradit Plinius lib. XXXIII. c. III. eundem (ξ) æs primum signasse. Nam adeò ejus rei (o) jus competit supremæ potestati, ut ipsa ratio dicat, capitali (π) supplicio eos etiam privatos esse afficiendos, à quibus omni ex parte, substantia, pondere, forma, scriptura, circulo, signo, vera & justa moneta excusa est ac signata. Tandem exactis imperii annis quadraginta & quatuor, dum Tarquinio, genero suo, quem ob solas suspiciones affectati imperii, ut reum Majestatis, aggredi meritò (ρ) debuerat, nimirum (σ) fudit, ejusdem scelere occisus est.

Annotatio.

(α) Cui nomen fuit *Ocrisia*, teste *Dionys. Halycarn. lib. IV. Antiq. c. I.* Cujus afflictam sortem Servio id nominis fecisse, refert *Plinius lib. XVI. H. N. c. XVII.* Quod ideo Servile cognomen *Val. Maximo* audit, *lib. III. c. IV.* In cujus etiam rei memoriam testum *Servorum* ac *Servarum* celebrasse Romanos, conjicit *Plutarchus, Quæst. Rom. X.* approbante *Alexandro ab Alexandro, lib. III. Gen. Dier. c. XVIII.* Quamquam à Patre Servio potius eum sic appellatum fuisse, existimet *Livius, lib. I. c. XXXIX.* Nomen autem hujus Regis exhibet Titulus Triumphalis, qui inter marmora Capitolina inventus est: **SER. TULLIUS. REX.** Ad quem l. c. respexisse videtur *Maximus.*

L 3

(β) Quod

(B) Quod enim non prohibuit dictamen rectæ rationis, sed saltem non præcepit, id, ut justè fiat, instituere omnino potest voluntas hominum, maximè, si societatis interfit. Jam tantum abest, ut omnis Servitus à natura interdicator, ut ipsa potius non semel eam suadeat. Vid. *Busbequii Legat. Turcica Epist. III. & Berneggeri Quest. CCV.* Nec ideo Servi fieri non possunt, quia natura nullos fecit, ut quidem apud *Josephum, lib. XIII. Antiq. Judaic. c. XVIII.* inconsideratè ratiocinati sunt Esseni. Quid enim, si nec liberos fecerit, ut statuit *Albutius* apud *Senecam lib. III. Controv. XXI?* Multa etiam alioquin iniqua forent instituta, quæ gentium vel civium consensus subinde approbavit. Et, si naturali juri repugnaret Servitus, cur eam genti Israeliticæ Deus concessisset. Vid. *Jo. Selden. ap. Wallæ. in Job. VIII, 32.* Ut ita non satis liqueat hoc assertum, iniquam esse omnem Servitutem. Sed num ea justa sit, quæ in Captivos exercetur, alius est indaginis. *Aristoteles, lib. I. Polit. c. VI.* inter justo & injusto bello captos distinguens de prioribus saltem quæstionem affirmat. Cui eatenus subscribo, quatenus ea res in æstimatione æquitatis absolutè venit. Cæterum, quum ardua plerumque ac periculosa de jure armorum sit quæstio, videtur jus gentium utrique hostium eam in servitutem reducendi captivos facultatem tribuisse. Atque id omnino æque. Quum hoc ipso serventur, quibus alioqui vita à victoribus eriperetur. Vid. *Jac. Zevcott. ad lib. I Flor. c. XVIII.* Unde non immerito laudandos censet *Ulpianus* qui quum sanguinem possent effundere, non effundant, *l. i. §. licet, ff. de peric. & comm. rei vend. Conf. Petr. Fabrum, lib. III. Semest. c. XIII.* A quo conservationis beneficio & Servi nomen suum sortiti sunt, testibus præter *Justinianum, Instit. tit. de Jur. Pers. §. 3. & Pomponium, l. pupillus. ff. de V. S. D. Augustino, lib. XV. de Civ. Dei, c. XV. Servio Honorato ad lib. V. Æn. Virg. & Donato, ad Terent. Adelph. Act. II. Sc. I.* Neque huic æquitati obstare cum *Bodino, lib. I. de Rep. c. V.* arbitramur, quod is sæpe capiatur, qui ob ingenii præstantiam rectius captori imperaret. Uti & illos errare censemus, qui, quod injustus sit, vel Christianæ pietati non conveniat, morem hunc nostro tempore abrogatum fuisse tradunt, quum apud Christianos quoque, etiam, quum ferventior esset illorum pietas, eundem aliquot seculis viguisse, probet *Berneggerus, Quest. CXXXV. in Tac.*

(y) Par.

(γ) Partim quia si summo jure usi fuissent victores, illi ipsi nunquam potuissent nasci. *Hug. Grotius, lib. III. de Jur. Belli ac Pac. c. VII.* Partim etiam, quod, quum in Servitutem redacti omni possessione priventur, ut ipsi liberos educare nequeant, domini sumptibus plerumque sustineantur. Ex qua alimentorum præbitione si jus sibi in eos domini vindicent, iniquum haut est, ut potius ipsi justitiæ, quam Explettricæ vocamus, apprimè conveniat. *Conf. Leonem Afrum lib. VI. de Parca.*

(δ) A Majoribus maximam partem acquisita. Nam ex Regio sanguine ortum illum fuisse testis est *Dionys. Halyc. lib. IV. c. I.* Ergò cui fortuna Regias opes & dignitatè abstulerat, virtutem auferre haut potuit. Illa siquidem *Divitiis animosa suis, immotaq; cunctis Casibus ex alta mortalia despicit arce, Claudian. in Consul. Manlii Theod. v. 5.* Adde *Senecam, Epist. LXXXII.* Maximo iis solatio, qui vitam illi suam consecrarunt; quo & Demetrius Phaleræus fractum calamitatibus animum erexit, ap. *Laertium, lib. V.*

(ε) Primus ad potentiam gradus est, Aula. Ibi enim virtus in conspectum Principis posita illius favorem facilius provocat. Præsertim si morum suavis elegantia & officiosa demissio cum quadam gravitate juncta eam comitetur. Favore autem Principis semel obtento nihil ulterius invium est successu temporis ad summa quæque enitenti. Scilicet hic trames erat, per quem Darius Codomannus apud *Plutarchum in Alex. c. XXIX.* Tarquinius Priscus, apud *Liv. lib. I. c. XXXIV.* Ventidius Bassus, ap. *Agell. l. XV. N. A. c. IV.* Maximinus Imp. ap. *Pompon. Lat. in ejus vit.* Narses, apud *Paul. Varnefrid. lib. II. de Gest. Longobard. c. III.* Georgius Martinusius, ap. *Thuanum, lib. IX. Histor.* Dux Lermæ ap. *Ant. Possavin. de bell. Monferr.* Wallensteinus, Friddlandia Dux, ap. *Ad. Brachel. lib. V. Hist.* In Italiâ Picinini, Sortia, Carmanio-læ & Fertebraçii ex tenuiori sorte ad ipsum culmen Principate penetrarunt. E diverso virtus magnis viris non probata instar auri est, quod terræ visceribus inhærens nullos nec admiratores habet, nec insidiatores.

(ζ) Ne plebeja viri conditio filia matrimonium infamia aliqua contaminaret. Erat enim Patriciorum dignitas maxima tunc Romæ, à Regiâ secunda, & reliquarum veluti scaturigo. *Conf. Jan. Gualierm. cap. III. de Magistr. Pop. Rom.* Sic superiori seculo Elisabetha, Angliæ Reg. tot honorū cumulos in Rob. Dudlaum, Leicestriæ Comitem credebatur

debatuꝛ congeſſiſſe, ut iſ hoc ipſo dignuſ haberetur, cui nubere poſſet. Vid. *Famian. Stradam, Decad. II. Bell. Belg. lib. VII.*

(n) Vel in munimentum domus, ut filia, ſi ob infirmitatem ſexuſ ipſa Romanis imperare non poſſet; Regina tamen eſſet: vel ut Servii ſidem ſanguinis vinculo arctiuſ conſtringeret. Ob quam cauſam & Maximianuſ Imp. Conſtantiuſ Chloruſ affinitate ſibi junxit; hodieque Turcicoruſ Principuſ filiaſ Baſſiſ Viſiriſ in matrimoniuſ locantur, *Buſbequ. Conſil. de re milit. contra Turc. p. m. 435.* Plurimuſ verò hoc matrimonio dignitateſ Servii auctam fuiſſe certuſ eſt. Ut & Agricolaſ conjugiuſ cum Domitiâ Decidiana ad maiora nitenti decuſ & robuſ fuit, teſte *in ejuſ vita Tacito, c. I.*

(S) Unde ipſi Admiratio populi, & quæ juxta *Saaved.* huiuſ filia eſt, *Symb. XLII.* Auctoriſ ſumma extitit. Hæc verò quum ſalutiſ ſit tutela, ſi Princepſ eâ polleat, teſte *Q. Curtio, lib. VIII. c. V. & Aur. Caſſiodoro, lib. III. Epist. XXXV.* faciliuſ Romanuſ in electionem Servii potuit ſollicitare. Nam & iidem eandem ob cauſam Tullo Hoſtilio imperiuſ contulerant, apud *Forum lib. I. Hiſt. c. III.* Cæteruſ ut victoriã hanc, ſic ipſa quoque ſceptra Fortunæ debuit Serviuſ. Quamquam enim eximia ejuſ eſſet virtuſ, huic tamen arx gloriæ inaccessa prope eſt, ſi fata obiceſ ponant. Vid. *Senecam, c. XVI. de vit. beat.* Ipſe hoc videtur agnoviſſe; hinc gratiam dignitateſ ſuæ Auctoriſ relaturuſ Fortunæ aliquot templa, virtuti nulluſ exſtruxit. Conf. *Jo. Roſin. lib. II. Antiq. Rom. c. XVI.* Et ſanè multi, qui ad ipſa æthera per virtuteſ penetrare potuiſſent, novercantis ſortiſ malignitateſ experti inter ſordeſ obſcuritateſ conſenuerunt. Contra, quot ad ipſuſ honoriſ faſtigiuſ fortuna eſſeſt, quoruſ vitam omniſ generiſ flagitiã contaminaſerant? Vid. *Ed. Neuhuf. lib. II. Theatr. Ing. Hum. c. XI.* Ut ita illiſ, qui ad famam adſpirant, verba *Greg. Nazianzeni* Symboli iſtar ſint: ΘΕΛΩ ΤΥΧΗΣ ΣΤΑΛΑΓΜΟΝ Η ΦΡΕΝΩΝ ΠΙΘΟΝ. Non, ut virtuteſ negligendam illiſ eſſe exiſtimem. Sola enim hæc ſtabiliſ ac veræ dignitateſ cauſa eſt; Sed quod virtuſ obnitente fortuna effectum hunc conſequi ægrè poſſit. Unde ipſuſ Deuſ, ſi Heroibuſ magna conficiendi munuſ impoſuit, eoſ juxta virtuteſ & animi invictuſ robuſ felicitate quoque ornateſ conſtat. Vid. *Cicero. pro Leg. Manil. c. XVI.* A cujuſ diſpoſitione, & non caſu, etiam Servio obtigiffe imperiuſ ac
tantos

tantos rerum successus visa circa vagientis caput flamma non facile quemquam finit dubitare, de quo lege *Plinium l. XXXVI. c. XXVII.* & *Jo. Freinsbem. not. ad Flor. lib. I. c. VI.*

(i) Hinc Iphicrates, Dux Atheniensium, majori sibi laudi vertit, quod nobilitatis initium posteris relinquat, apud *Plutarch. in Apophth. Conf. Doctiss. Triaquell. c. 5. de Nobil.* & *Edo Neubusius, l. c. l. II. c. IX. seqq.*

(x) Rectè, si ex nobilibus digni sint, qui iis præficiantur, *Conf. Andr. Triaquell. l. c.* Alias enim & honorum pretia vilescerent, & procerum animi in exitium Principis vel Reipubl. irritarentur. Vid. *Orat. Agrippæ ap. Dionem, lib. LII.* Ideo sanè nobiles Angliæ Archigallonem Regem diademate exuerunt, quod infimi generis ac novos sibi præponeret, ut è *Cambdeno* refert *Jo. Seldenus, cap. II. Analect. Angl.* Neque his validior est ratio Alexandri, ob quam præteritis genere eminentioribus infimæ sortis Abdalonimum Sidoniæ Regem constituebat, *ne generis id, non dantis beneficium putarent, Justin. lib. XI. Hist. c. X.* Quod si tamen plebejus virtute longe præcellat præclarâ stirpe natos, majoris illum æstimandum censet *Aristoteles ap. Jo. Scrobeum serm. LXXXIV.* ut tamen certæ quoque cautelæ adhibeantur, quas alibi observavimus.

(λ) In quos ideò hæc *C. Plinii* extat invectiva, in *Panegy. c. LXXXVIII.* *Plerique principum quum civium essent Domini, libertorum erant servi, horum consiliis, horum nutu gerebantur; per hos audiebant, per hos loquebantur, per hos prætura etiam, & Sacerdotia, & Consulatus, in dō & ab his petebantur.* Vid. *ad b. l. not. 7. Lipsii.*

(μ) Sive, ut gratificaretur populo, cui exosum erat istud paricidium; sive, ut Majestatem Imperatoriam justâ ultione restitueret, à quâ quum salus pendeat totius Reipubl, læsio ejus merito pro maximo crimine habetur. *Conf. Hug. Grot. lib. I. de Jur. Bell. ac Pac. c. IV. §. 7.* Nimirum *Regi tuenda est maximè Regum salus, Senec. in Oedipo,* & ideò ab Alexandro petebat Darius cædis suæ vindictam, quia *exempli, communisq, omnium Regum esset causa, quam negligere illi & indecorum & periculosum esset.* Sic *Basilius Porphyrogenetus* ad *Chosroem* postulatum misit, ut dederetur sibi regni affectator, qui domino contraria cepisset arma, neve in semetipsum

perniciosum exemplum statueret Chosroes, ut refert in ejus vitâ Zonaras. Conf. ad hæc Scipionem Amirat. Discurs. XVII. in Tacit. & Cl. Bæcleri Annot. Polit. ad lib. I. Hist. Tac. c. XLIV.

(v) Aut enim non fodicandi illi sunt, aut si cœperis, occidendi. Omne medium hîc in vitio ponitur, & omne extremum laudabile est. Non emittendus è custodia Leo, ut illus ipse præda fias. Aut variis blandimentis demulcendus est, aut vinculis arctissimè constringendus, si tutus ab eo esse velis. Raro invenias *Camillos*, qui exilium patriæ æquo animo ferant, plurimos *Coriolanos*, qui ejus ultionem armis moliantur. Nec *Astyages* imperium, nec *Græcia* toties ac *Roma* tranquillitatis jacturam fecisset, si negotium hoc cautius tractare novissent. Nostris temporibus plurimum nocuit *Henrico*, Lusitaniæ Regi, quod vel summa clementia, vel summâ severitate uti ignoraverit, ap. *Hier. Conestag. lib. III. de Conj. Port. cum Cast.*

(k) Cujus favor firmissimum Principis munimentum. Vid. *Senec. lib. I. de Clement. c. XIX. & Just. Lips. lib. IV. Polit. c. VIII.* qui ideò sub auspiciis statim imperii mediis ad conditionem temporum ac status, civiumque ingenia accommodatis quærendus. Conf. *Christ. Forstnerum, not. Polit. ad Tac. lib. IV. Annal. p. 421. edit. Batav.*

(o) Quo quidem gratus officium præstare populo haut potuisset, maximè Patriiis. Nam his invisâ est immodica Principum potestas, & infringendæ illius jugi solitudine inquietantur. Quâ itaque si quis remissius utatur, ejusque partem cum iis ultrò communicet, maximam illorum auferet gratiam. Ea res *Antigono* Macedoniæ Regi omnium studia conciliaverat, apud *Fulgosum, lib. VI. Hist. c. V.* *Trajanus* ideò à Senatoriæ factionis Scriptoribus *Optimus* merebatur appellari. Vid. *Rupertinot. ad Besoldi Synops. Hist. in Traj. Adriano* quoque apud *Spartianum, Antonino Pio* apud *Capitolinum, Pertinace & Macrino* apud *Herodianum* (quorum ibidem egregiæ eâ de re extant orationes) quum populi arbitrio imperium suum subjecerant, nemo regnaverat laudabilius. Qua tamen submissione annon totius Imperii Majestatem contemptui exposuerint, & tot nefandis ausibus ipsi veluti fenestram aperuerint, alii judicent.

Hoc

Hoc interim non infimum Imperii arcanum esse duco, si ita captet favorem populi Princeps, ut simul auctoritatem suam conservet illibatam. Conf. *Tacit. Agric. c. IX.* Quod quum in Germaniâ neglexerint Carolus IV. teste in ejus vita *Cuspiniano*, & Jagello in Poloniâ, ap. *Cromerum, Rer. Pol. lib. XIX.* inde dubitari hæcenus coepit, unius ibi imperium sit, an plurium. Vid. *Jo. Bod. lib. II. de Rep. c. VI.* & *Jo. Boter. descript. Polon.* Certè nec Augusto popularis favor defuit, licet non ipsam potestatem, sed potestatis saltem qualecunque simulacrum Senatui vendiderit, *Tacit. lib. I. Ann. c. II.*

(π) Quippe eam Auctori prorsus displicere, ex ejus *explanatione §. 4. c. 1. lib. II. Instit. Polit.* apparet. Cujus tamen ratio ibidem exposita minimè evincit, nullam re ipsa dari mixtam Reipubl. formam. Imò eo ipso, quo in eadem Repub. una simplex forma præcellit, ut alia quoque adsit, cui præcellat, requiritur. Disparitas autem miscibilium veram mixturam haut impedit. Atque hoc sensu minimè dubitamus, cum Viro Incomparabili, *Hug. Grotio, lib. I. Jur. Bell. & Pac. c. III. §. 20.* Imperio Romano eo tempore temperatum Reipub. statum adsignare.

(ε) Si scil. Deo vel populo se servaturum eas promisit. Id quod præter rationes & exempla apposito simili à Patrefamilias petito illustrat idem *Grotius, Ibid. §. 16.* Addatur *Obrecht. Disput. de Regalibus.* Extra verò illam stipulationem, quod ad leges positivas, verissimum est, quod ait *Plinius in Panegyri. Leges Principi nemo scripsit.* Neque ipsum se per modum legis, hoc est, per modum superioris quisquam obligare potest. *Grot. lib. II. c. IV. §. 12.* Nisi quod laudabilius faciat, si, quas leges subditis præscripsit, ipse quoque Princeps observet. *An enim quisquam ferret moleste ad Principis modum coerceri?* ut ait *Latinus Patavus in Panegyri.* Conf. *Ant. de Guevara, lib. III. Horol. c. 1.* De totâ quæstione legisse haut poenitebit *Jo. Bodinum, lib. I. de Rep. c. VIII.* & *Theod. Graswinck. dissert. de Jur. Majest.*

(σ) Nam ita vicem ejus subit, ut idem penè cum eo habeatur. Vid. *Cicero. lib. II. de LL.* quo referri potest, quod *Sidonius Apollinaris* inquit *lib. V. Epist. XVII. Quicquid sponponderit Princeps, redhibes*

reddibet Principatus. Coeterum quousque promissis & contractibus Antecessoris sui Moderator Reipub. teneatur, distinctè tractaverunt sæpè laudatus *Grotius*, lib. II. c. XIV. §. 10. seqq. & *Theod. Reinking.* de Regim. Secul. & *Eccles.* lib. I. Class. III. c. V. seqq.

(τ) Non tamen primus. Nam ante illum leges quoque conderant Romulus, ac imprimis Numa. Quem etiam *ἄπο τῶν νόμων*, id est, à constitutione legum nomen accepisse, putat *Servius*, ad *Virgil.* lib. VI. *Aeneid.* v. 812. Istarum legum varia apud *Dionysium* lib. II. *Ciceronem*, libb. de LL. *Plutarch.* in *Romulo & Num.* *Plinium*, l. XIV. c. 12. & *Festum*, extant, vestigia, ad quem postremum suale- rim ut sedulo consulas *Comment. Viri summi Jos. Scaligeri.* Eas quum collegerit ac digesserit *Sextus Papius*, ab eo jus Papiirianum dictæ sunt, teste *Pomponio JC.* l. 2. ff. de *Orig. Jur.* De quo confer, qui peculiari instituto de Legibus Antiquis Romanorum scripse- runt, *Barthol. Marlianum*, *Pandulf. Prantæum*, *Franc. Balduinum*, ac imprimis *Just. Lipsium.*

(υ) Hinc *Aristoteles* lib. II. *Polit.* c. IX. Ephorum in Rep. Laconicâ imperium ideò inter alia improbat, quod *ἀπο νόμων* non ex legum præscripto judicaverint. Rationem aperit sequenti lib. III. c. X. ad quem locum confer *Comment. Michaëlis Piccarti.* Quum tamen & leges quoque, quamlibet optimæ, nullo negotio in pessimos sensus torqueri possint, ut in præclarâ illa de usu Historiæ digressione ait *Phil. Cominaus*, lib. II. c. VI. maximè, si Rabularum argutiis exponantur, quorum technas & malitiam acriter non minùs, quàm venustè perstringit *Iburanes* apud *Jo. Barclajum*, lib. III. *Argen.* c. XXII. prudentia quoque & dexteritate judicis opus est, qui eas secundùm æquitatem & salutem publicam interpretetur. Cate- tum de necessitate legum videndus *Bernegg.* *Quest.* CXIII. & *Junii part.* III. *Quest. Polit.* quest. LXXXVI.

(φ) Hoc est, quod ait *Ferdinandus Vasquius Controv. Illust.* lib. II. c. LXXIX. §. 30. *Jura Civitatis cujuscunque regionis, quoad externos populos, nationes, vel etiam homines singulos non magis est in consideratione, quàm si revera non esset tale jus, aut unquam fuisset.*
Quod

Quod effatum quum ad jus quoque Romanum pertinere rectè moneat Auctor, mirari subit, cur *Albericus Gentilis, lib. I. de Jur. Belli, c. 3.* asserere ausus sit: *Jus Justinianeis præscriptum libris non civitatis tantum esse, sed & gentium & natura, atq; & Principibus eo standum esse, etsi privatis à Justiniano conditum sit.* Rectè eum ideò castigavit decus Britannia, *Jo. Seldenus, lib. I. Maris clausi, c. XXIV.* In eundem lapidem imegisse videtur *And. Alciatus, dum lib. V. Consil. XVII.* contractus Regum & populorum ex jure Romano interpretandos esse censuit.

(X) Ob utilitatem enim introductæ sunt leges Civiles. *Hug. Grot. proleg. ad libb. de Jur. B. & P.* Jam huic sæpe hominum coetui utile est, quod alteri non æque probatur. Vid. *Forstner. ad lib. II. Ann. Tac. p. m. 132. seqq.* Ab hoc igitur orta est illa legum civilium varietas. Hinc à legislatore requirit *Aristoteles lib. III. Polit. c. XIII.* ut pro conditione temporum ac civium ingeniis leges suas informet. De naturâ verò legum civilium quum idem Auctor noster alibi accuratè differuerit, *lib. I. Instit. Polit. c. IX. & in ejus loci Explanations.* Lectorem eò remittimus.

(ψ) Quod quia duplex est, vel propriè sic dictum, quod vim pacti inter gentes obtinet; vel analogicum, quod è Jure Civili plurium gentium est collectum, Vid. *Jo. Seldenus, lib. I. de Jur. nat. & gent. secundum discipl. Hebræ. c. I.* dubitare quis posset, quodnam heic intelligat Auctor. Mihi dubium non est, quin utrumque intelligat. Prius quidem, si ratio illa respiciat utilitatem & salutem omnium civitatum invicem spectatarum; posterius verò, si istud suadeat, quod singulis civitatibus non possit non esse proficuum. Conf. *Pet. Fabr. JC. lib. II. semest. c. I. seqq.*

(ω) Quia enim confusione quacunque in re nihil est foedius; quanto magis in Repub. enitendum est, ut cives aptâ collocatione sic constituentur, ut primi postremis, medii utrisque, omnes omnibus nexu quodam ac vinculo inter se & cum Republ. jungantur. *Jo. Bodinus, lib. III. de Republ. c. VIII.* verissimè de ἀραξία dixit *Sophocles Tragicus:*

*Hæc perdidit urbes, ista perdit & domos
Vastasq; reddit, Martus in certamine
Hæc terga vertit, ritè sed parentium
Res servat atque vitam obedientia.*

(α) De hac militum distributione in legiones, cohortes, manipulos & centurias Confer *Flav. Vegetium, de re militari lib. II. ferè integrò, & ad eum variâ eruditione refertissimum Godescalci Stewechii Commentarium, ut & Justum Lipsium ac Cl. Salmasium. utrumque de re militari veterum Romanorum.*

(β) Comitia celebrari dicebantur, quando universus populus Romanus suffragiorum de re aliqua ferendorum gratiâ in certum locum colligebatur. Erantque trium generum: vel Curiata, à triginta Curiis; vel Centuriata à Centuriis, vel Tributa à Tribubus, in quarum tres omnes regiones Romanis subjectæ dividebantur, sic vocata. Quæ singulorum, ac Centuriatorum imprimis ratio fuerit ac forma, prolixè hæc exponere non attinet. Istud enim post *Dionysium lib. II. & Agellium lib. XV. N. A. c. XXVII.* sufficienti industria præstiterunt *Alexander ab Alexandro, lib. IV. Gen. Dier. c. III. & ad h. l. Andr. Tiraquellus, & Nicolaus Grucchius libb. tribus de Romanorum Comitiiis.* Hoc saltem observare liceat, Comitia ejusmodi firmissimum esse libertatis populi propugnaculum, si de gravibus & imprimis ad statum publicum pertinentibus Reipubl. negotiis habeantur. Quorum ideò & hodie apud Venetos & Helvetios sancta ac inviolabilis est auctoritas, vid. *Don. Jannotium Dial. I. de Venet. Rep. & Jos. Simlerum lib. II. De Rep. Helvet.* Unde & Augustus ejusque successor Tiberius, quum libertati Pop. Rom. insidiarentur, jura comitiorum primò omnium infringere conati sunt, teste *Cl. Bœclero, ad lib. I. Ann. Tac. c. II. n. 9.*

(γ) Hinc apud *Agellium lib. XVI. c. X. iidè Romani rem pecuniamq; familiarem obsidis vicem pignorisq; apud Rempub. amorisq; in patriam fidem quandam in eâ firmamentumq; esse arbitrantur.*

(δ) In

(d) In contrarium abit iudicium Plinii, quod habet *Praefat. lib. IV. Hist. Nat. Posteris*, inquiring, *laxitas mundi & rerum amplitudo damno fuit, postquam Senator censu legi coeptus, iudex fieri censu, magistratum Ducemq; nihil magis exornare, quam census, pessum, iere vitæ pretia, omnesq; à maximo bono liberales dictæ artes in contrarium cecidere.* Plura in hanc sententiam vide ap. *Jac. Zevecotium ad lib. III. Flori, c. XII. p. 372. seqq.*

(e) Vid. *Bodinum, lib. VI. de Rep. c. I.*

(z) Ita quoque existimavit Mecænas, ubi his verbis Augustum alloquutus: *justum, ait, æquumq; est, neminem subditorum, neq; privatum hominem, neq; populum à vectigalibus immunem esse: quum ad omnes ex æquo utilitas eorum, in qua insuntur, redeat,* apud *Dionem, lib. LII.*

(n) Quod ob eam rationem fecisse Romanos *Agellius* arbitratur, quam paulò ante citavimus.

(g) Quod confirmat *Festus*: *Privato sumptu se aiebant milites Romani, antequam stipendia mererentur.* Ubi simul innuit, defuisse tandem istum morem. Quod paulò ante, quàm *Romana Civitas à Gallis fuerit capta*, factum esse, ex eodem probat *Erycius Puteanus*. Confer ejus *Syntagma de stipendio militari ap. Romanos, c. IV.*

(i) Deficientibus nummis, quibus victum ac necessaria sibi quærant. Ob quorum diutius dilatam solutionem sæpe postea stipendarios Romanorum milites turbas agitasse, memoriae proditum est. Sane sub *Appio Claudio* ideò noluit vincere exercitus, quum posset, apud *Florum, lib. I. c. XXII.*

(x) Num ad armorum usum plebs admittenda, disputant *Albericus Gentilis lib. III. de Jur. Belli, c. XI. Phil. Camerarius, lib. I. Hor. Subcis. c. XLVII. & Arn. Clapmarius, lib. II. Arcan. c. VI.*

(λ) De his ita iudicat *Güntherus*:

*Ære dato conductæ cohors, & bellica miles
Dona sequens, pretioq; suum mutare favorem
Suetus & accepto pariter cum munere bello
Hunc habuisse, dator pretii quem jusserit hostem.*

Hoc

Hoc superiori aetate damno suo experta est Italia, per quam milites Germani bellis Neapolitanis exerciti, duce quodam Lando vagati incendiis, caede, praeda cuncta adeo miscuerunt, ut Senenses XIII c. In-
 nocentius vero Pontif. L. c. aureorum incolumitatem redimere co-
 acti fuerint. Non tamen semper rejiciendos esse externos, monet *J.*
Lipsius, lib. V. Polit. c. IX. Conf. Magiri Comment. ad lib. III. Arist.
Nicom. c. VIII. & Berneggeri Quaest. LXXIII.

(u) Forte an id fecit Servius quod existimavit, id genus homi-
 num civilis aestimationis nullum locum obtinere, de quo ad eandem
 Dissertationes alibi nonnihil dicemus.

(v) Omnino quum & Servos non secus ac liberos civitate donari
 velit *Bodinus, lib. III. de Rep. c. VIII.*

(z) Quum antea rudi aere usi fuissent Romani. Vide egregium
 locum *C. Plinii lib. XXXIII. c. III. & adde Cl. Budei lib. de Asse.*


(o) Vide, *Henning. Arniseum lib. de Fur. Majest.*


(π) Ejusmodi temeratores peculatus criminis accusabantur.
Conf. Thom. Dempster. paralipp. ad lib. VII. Rosini de Antiquit. c.
XXXI.

(e) Quemadmodum superiori aetate Veneti Carmaniolum bel-
 lo Mediolanensi Imperatorem aggressi sunt, quum proditorem illum
 civitate Vice comiti certis subnixi fundamentis suspicarentur ap. *J.*
Bapt. Egnatium, lib. II.

(σ) Hoc unico vitio, sed Magnis viris summe omnium exitioso
 laborasse Meleandrum Regem, fatetur Archombroto Poliarchus ap.
J. Barclaj. lib. I. Argen. c. II.

ULD Halle
305 182 604





ULB Halle

3

005 132 584



VD 17





1659,16 18

BOXHORNIANARUM
TAM
TULLII
IPATU
SIDE
SCHMIDELIO,
IENSI;
P.
ZSCH, NORDHUSANUS.
R. clb lbc LIX.
NÆ
NISIANO.

f. 1289.

